


Kem 226 (A-78)





DISSE<sup>6</sup>  
TARI<sup>O</sup> IN AVGVRALIS MEDICA  
*DE*  
**CARNOSITATE VESICAE  
MORBOSA**


---

QVAM  
*DIVINIS SVB AVSPICIIS*  
CONSENSV ET AVCTORITATE  
GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE  
IN CELEBERRIMA VNIVERSITATE ALTORFINA  
**PRO GRADV DOCTORIS**  
**SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS**  
ET PRIVILEGIIS RITE IMPETRANDIS  
D. II AVGVSTI A. R. S. C<sup>I</sup>CL<sup>II</sup>CCLVIII  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBIICIET  
RESPONSVRVS AVCTOR  
IOANNES NEPOM. RVDOLPHVS  
DE BINGEN  
AVGVSTA - VINDELICVS

---

*ALTORFII NORICORVM.*  
TYPIS IO. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.







## PROOEMIVM.



**M**Agno mortalium commodo prouidit sapien-  
tissimus benignissimusque rerum Conditor,  
dum uentri hominum inferiori sat capax  
indidit receptaculum, quod laticeum urino-  
sum, qui singulis momentis a sanguine in  
renum colatorio secernitur, in se reciperet, colli-  
geret, atque opportuno tempore excerneret. Quam-  
uis enim leuioris saltem momenti organum uideatur  
esse uesica, atque ob excrementitium, quem con-  
tinet, humorem, ceu nauseabundum uilipendi so-  
leat; tantae tamen est utilitatis aequa ac necessi-  
tatis, ut magnis omnino afficiantur incommodis, qui  
naturalibus integrisque eius destruuntur officiis. Ex  
multis, quae facile allegari possent, eius rei exemplis  
unum eligere liceat. Interdum enim accidit, ut iustam  
vesica non patiatur extensionem, sed contracta et an-  
gusta urinam affluentem solito citius frequentiusque

A

iusto

iusto protrudat ; unde non molestia tantum et taediosa ,  
sed dolorum etiam plena , inde euenire solet micturitio .  
Hanc , quae saepe a nimia carnositate uesicae prouenit ,  
coarctationem ex copiosis , quibus uesica tentatur , mor-  
bis nunc illustrandam speciminis inauguralis loco mihi  
hoc magis proposui , quo rariorem hoc de morbo in libris  
medicorum offendimus mentionem . Dum enim illa in-  
ter passiones uesicae sonticas , nec adeo infrequentes , per-  
tinet , et nisi probe diognoscatur , medentibus saepe im-  
ponere solet ; operaे pretium esse iudicauit , eius histo-  
riam , indicia , causas , pericula , et medendi metho-  
dum , pro uirium mearum tenuitate , breuiter hic loci per-  
uestigare . Nemo autem prudens , ceu confido , mihi  
unquam uitio uertet , si arduam hanc et abstrusae inda-  
gationis materiem primo hoc ausu non omnibus numeris  
exhibuero absolutam . Dum enim morbum , a multis ,  
etiam si probatissimis , Autoribus praeteruisum , et de quo  
nemo , quantum quidem scio , specialem praemisit inue-  
stigationem , mihi pertractandum sumsi ; prima eius rei  
mihi ponenda fuerunt rudimenta , aliisque ad meliora ,  
quae lubens edoceri cupio , uia aperienda . Nec dubito ,  
me facilem promptamque de iacta alea ueniam ab aequis  
lectoribus impetraturum , si quando omnium expectatio-  
ni non fecerim satis . Supremum , quod supplex adoro , Nu-  
men deuota imploro mente , ut hunc qualemcumque labo-  
rem in commodum grauiter laborantium cedere  
clementissime iubeat .

DISSE-



DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS  
DE  
**CARNOSITATE VESICAE  
MORBOSA.**

§. I.

**E**Vm uesicae urinariae statum praeter naturalem, quo non modo solitam membranarum crassitatem aliquem ueſicæ quoties superat, sed etiam adeo contracta quo-  
Quid sit Carnositas ueſicæ morbosæ!  
 ad texturam suam et alterata existit, ut iustum cauitatis suae distensionem non amplius admittat, sed urinam, etiam si paucam quantitate, et qualitate saepe mutatam, iusto citius et frequentius expellat, aliquorum autoritate medicorum permotus, nomine *Carnositatem uesicæ morbosam*. Quamuis enim caro generali sensu fibrosam mollemque, siue musculosam, siue tendineo-nervosoque membranosam, animalium partem denotet; hoc tamen loco monendum, me tantum sensu proprio, et speciali pathologico, carnositatem usurpare, nec cuiquam

A 2

uelle

uelle obniti, si quis hunc morbum praeoptet cognominare crassitatem nimiam, densitatem, angustiam, et contracturam uesicae morbosam, utpote quibus uerbis compellare istud uitii, non plane esset incongruum.

## §. II.

Naturalis  
vesicae  
status.

Si naturalem et sanam uesicae urinariae texturam cum ante allegato illius statu morbo comparamus, haud difficulter inuenimus, in quo differentia constitutionis utriusque, et uera huius uitii ratio lateat. Vesica nempe est pars illa membranacea, caua, piri uel lagena formam referens, in pelui abdominis tuto consita, ex tribus potissimum membranis composita - quarum extima a peritonei propagine nata politicam et superiorem eius regionem cegit, anteriore et inferiore uesicae parte a copiosa pinguedine tunicae cellulosa peluis cincta. Altera uero membrana muscularis ex uario et mirifico fibrarum longitudinalium, transuersalium et obliquarum, complexu ita contexta, ut et distensionem in formam oualem admittat, et receptaculum hoc urinae rursus coarctet, urinamque contentam atque collectam exprimat per diductum sphincteris orificio in urethram. Tertia denique membrana uocatur tendineo - neruea, quae intus tenui uilloso - glandulosa adhuc maximam partem inuestitur substantia, secretioni humoris mucosi, uesicam illinientis, eamque ab acrimonia urinae defendendi officio dicata. Ut autem ter-

tia

tia haec tunica corrugari, et post euacuatam uesicam in rugas minores complicari commode queat, substantia quaedam uascuло - cellulosa binis hisce membranis intertexta est, utpote quae prope collum vesicae etiam intus largior et laxior, atque humore peculiari irrigua reperitur, ut orificia ureterum laxe conniveant, urinamque in vesicam facile transmittant, eius uero refluxum impedian. Vasa tam neruosa ab intercostalibus et osse sacro, quam arteriosa et uenosa ab hypogastricis, (umbilicalibus) itemque ab haemorrhoidalibus, imo in sexu sequiori ab uterinis, huc distribuuntur in adultis. Orificium clauditur musculo sphinctere, qui arbitrio hominis subiectus tamdiu inuoluntariam urinae emissionem coeret, donec distenta ad extremum vesica, uel acrimonia urinae nimis irritante, homo urgeatur ad eandem dimittendam. Crassities vesicae in homine adulto et sano media est inter illam vesicae bouinae et suillae, et uix unam alteramue lineam complectitur. Minor vesicae tamen crassities est, eadem distenta et repleta, quam ubi contracta et vacua extiterit. Urinae, continuo a renibus per ureteres deflanti, colligenda inseruit, donec a copia uel acrimonia lotii incitata urgeatur vesica ad sui contractionem et lotii collecti emissionem, ubi modo libram unam, modo humoris huius excrementiti maiorem copiam, pro ratione assumtorum potuum capit.

## §. III.

Quatenus ab eo deflectat carnositas uesicae morbos variis modis a statu illius naturali recedit. 1) Crassities membranarum tribus uel tantam stricturam et densitatem uesica acquirit, ut iustum distensionem non amplius admittat, et 3) uires musculi sphincteris, cuius ope urina retineri et colligi debet, illico uincat, qua de causa 4) lotium, pauca saltē copia affluens, solito frequentius excernitur, et 5) ferme assidua mingendi necessitas urget miseris, 6) non sine graui coniuncta molestia et acerbo subinde dolore. Pertinet itaque hoc uitium inter morbos organicos, eosque malae conformatio[n]is, et quidem respectu cauitatis ad angustiam eius contractam; quoad crassitatem uero membranarum uesicae inter morbos magnitudinis praeter naturam auctae referri meretur. Si crassitatem uesicae spectres, magnitudine excedit; si uero eius cauitatem respicias, deficit eadem ob angustatam eandem; si denique officium intuearis, retentrice imminuta, expulsive uero facultate aucta, peccat.

## §. IV.

Haec uesicae carnositas modo totalis est, et uniuersa sum uesicae ambitum occupat, modo in aliqua tantum hic agatur, eius parte euenit. Namque si fungosae et carnosae excre-

crescentiac, uel alii tumores, quorum copiosa exempla  
collegit BONETVS, a) aliquam intimae uesticac membranae  
regionem obsident, uel ubi scabies, ulcera, steatoma-  
ta, fungi et carunculae accidunt, aut calculi iis innascun-  
tur, crassities quidem adeat, sed particularis, cuius spe-  
cies, quia suis quaequaen nominibus compellantur, et pas-  
sim ab autoribus tractantur, ceu peculiares morbos hic  
praetereo, potissimum de uniuersali uesticac crassitie et  
densitate hic sermonem facturus.

## §. V.

Ragam equidem in libris medicorum offendimus re-  
censionem de carnositate uesticac, nec satis mirari potui,  
etiam eos, qui speciatim de uiis urinariis et morbis uesticac  
scriperunt, modo nullam plane, modo obscuram tan-  
tum, huius morbi, forte non adeo infrequentis, mentio-  
nem iniecisse, sed sicco eundem, quod aiunt, pede tran-  
sisse. Morbus enim iste haec tenus minus cognitus exitit;  
ideoque non mirum, hanc p. n. uesticac conditionem in  
sectione mortuorum saepe praeteruisam esse. Nec dubi-  
to, plurimos, hoc malo laborantes, uitaque defunctos,  
citra sectionis scrutinium terrae mandatos esse. Nihilo  
minus tamen istud uitii uesticac a quibusdam per Anato-  
men practicam detectum publicique iuris factum est.

Aliquot

Exempla  
eius.

a) in sepulchret. Lib. III, Sect. XXIV. Obs. 16.

Aliquot eius morbi exempla recensere liceat. Ita  
RVYSCHIVS b) historiam refert de iuuene, qui calculo uezicae laborauerat, in cuius cädauere secto uezica digitum transuersum crassa deprehensa fuit, separabilis quidem erat in tunicas innumerabiles, inter quas materia purulenta uarii in locis pinguedini liquefactae ad amissim respondens reperta fuit. Idem c) a scabie uezicae tantam eius incrassationem obseruauit, ut reuera digitu spissitudinem aequauerit. BONETVS d) corpus uezicae in callosam substantiam conuersum post inueteratam dysuriam ex ROLANI Anthropographia annotauit. HOFFMANNVS e) ex spasmo uezicae diurno, qui calculum uel ulcus eius mentiebatur, post sectionem defuncti inuenit uezicae membranaceam substantiam praeter naturam ualde crassam et densam, copiosis amplis ac distentis sanguiferis uasis, quorum nonnulla calami scriptorii capacitatem aequabant, oblitam, et sanguine crasso et atro refertam. R. I. CAME-  
RARIVS f) in quodam uiro post spastum pedum flatulensem et coxae dolorem, diabete stranguriosa primum per interualla recurrente, demum continua, quae causam in  
calcu-

b) Obseruat. Anat. Chir. obs. 89. pag. 113. Fig. 70.

c) Ibid. Obseruat. 78. pag. 99. Fig. 62.

d) in sepulchret. Lib. III. Sect. XXIV. obs. XVI. pag. 1237.

e) Med. Rat. Syst. Tom. 4. Sect. II. cap. VI. obs. I. pag. 413.

f) Ephem. cent. III. obs. IV. pag. 20. seqq.

calculo poniendam falso aliis persuaserat, defuncto sequentia annotauit: *vesica urinaria monstroso aspectu similis massae carneae duorum pugnorum magnitudine, substantiae fibro-glanduloso-scirrhosae, circumcirca ad usque ceruicem duorum pollicum crassitie, quae cum membro, et imo muscularum abdominis, omnino iam gangraenam conceperat, dum reliquum corpus in partibus principalibus videbatur adhuc esse satis bene constitutum. Cauitas ipsa vesicae, adeo incrassatae, uix maior nuce iuglande, habuit ne guttam urinae, nec granulum arenac, parum tamen spissusculi et spumosi albi muci: tantum abest, ut fuerit obsessa calculo.* In memorabilibus Acad. Chirurg. Paris. g) aliquot casus nimium crassae a calculo vesicae depinguntur. RIOLANVS b) etiam assensum praebet: *Interdum enim, inquit, ita constringitur et arcatur vesica, ut non possit dilatari, ob ipsius ulcerationem dolorificam in parte interna, tumque crassior euadit et uelut cartilaginea, quod impedit ipsius distensionem; hinc mictus dolorosus.* In actis Edimburgensibus i) recensetur casus vesicae scirrhosae et induratae a calculo, quae ponderabat XXX uncias, et drachmas duas; discissa uero vesica haec me-

B

moratu

g) Memoires de l' Acad. Royale de Chirurgie Tom. I. pag.

396.

b) Enchirid. Anat. Pathol. lib. II. cap. XXX. p. 153.

i) Tom. I. pag. 424.

moratu digna monstrabat: Interne albi coloris erat, et coagmentata structaque uidebatur ex diuersis, et a se inuicem separatis, glandulis; nullam habebat cavitatem, nisi hanc, quam transiens urina sibi aperiebat. Illustris  
IO. IAC. BAIER, Professor quondam Medicinae in hac  
Vniuersitate celeberrimus, et Acad. Nat. Cur. Praeses,  
& in corpore famigeratissimi ICti, qui per plusculos  
annos mictione pultacea, subinde cruenta haemorrhoidali,  
stranguria, et frequenti stimulo meiendi uexatus,  
tandem ex inflammatione uesicae diem senex obierat, post  
aperturam abdominis inuenit non modo ureteres utrosque  
pollicem amplos, sed etiam uesicam undique copiofa  
pinguedine ( forte steatomatica et peregrina ) circumfusam,  
membranaceam uero eius structuram pollicis craffitiei,  
intus conspicuis compluribus foraminulis ulcerosis,  
cum manifestis gangraenae indiciis, praesertim in  
fundo uesicae, absque tamen calculi uestigiis. AL. TREI-  
SIO <sup>1)</sup> uisa uesica pollicem ubique crassa, feirrhosa, ob  
calculum unciarum quatuor et dimidiae pondere conten-  
tum, per quinque annos gestatum, cum exulceratione  
renum, incontinentia urinae, et stranguria praegressis,  
demum diabete et cachexia uitae finem inferente.

§. VI.

---

1) Act. N. C. uol. 3. obs. 122. pag. 381.  
D. in Bresl. Samml. 29, Versuch, pag. 104. 105.

§. VI.

Hicce obseruationibus adiungam adhuc aliam notatu omnino dignam , quam mecum communicauit celeberr. et doctiss. d. d. WEIS , Patronus ac Praeceptor mihi per quam colendus. Vir quidam Praenobilis et Doctissimus , qui per septem annos molestissima , et dolorum plenissima stranguria , eaque cum micturitione pultacea coniuncta laborauerat , ita , ut uix per dimidiā aut quartam horae partem colligere ac retinere potuerit urinam turbidam , et instar albuminis oui tenacem et uiscosam , sed continuo fere ad mingendum cum dolore incitaretur , tandem cachexia et hydrope pectoris et pericardii superueniente diem obiit supremum. Aperto eius per sectiōnem corpore , cum in causas adeo diurnae et immedicabilis stranguriae inquireretur , uesica eius adeo crassa , carnosa . et contracta inuenta est , ut pugnum mole aequauerit , eiusque cauitas uix unciam unam uel duas humoris capere potuerit. Fuerant antea , qui modo calculum , modo ulcus , modo homorrhoides uesicam inuidentes , ceu causam stranguriae perpetuae accusauerant ; uerum nihil harum rerum in cauitate uel substantia uesicae inuentum , sed mera uesicae carnositas , crassitatis , et durities in culpa fuerunt , et iustum eius distensionem , qua urina secundum naturam colligi et retineri potuisset , impedierunt Vnde uero haec contractura

B 2

vesicæ

uesicae euenerit, inuestigatio uicinarum partium facile patefecit. Nimurum ren sinister totus quantus fuerat exulceratus, et substantia eius prolsus in pus crassum, quod ex parte in calculosam duritatem coiuerat, mutata, superflite tantum folliculo renis membranoso. Vreter ab eodem pure copiosissimo adeo fuerat distentus, ut in media sui parte intestini tenuioris amplitudinem superaret. Dum autem idem ureter non longe ab insertione sua, qua uesicam intrare solet, a mole puris perruptus est, et post peritonaeum collecta in pelui materia ante duos annos, priusquam moreretur, per inguen sinistrum facto abscessu erupit, et apertura haec inguinis demum sua sponte coiuerat; successu temporis denuo ad latus uesicae sinistrum magna puris uappidi copia adhuc collecta et inspissata permanit residua, nec, ceu antea, per ureterem in uesicam penetrare, et cum urina excerni potuit; unde factum, ut partim a pondere, partim ab acrimonia puris, uesica ad sui contractionem incitata, et per affluentes humores ita coarctata fuerit, ut tandem crassitatem et carnositatem praeternaturalem adeptafit.

### §. VII.

Forma  
morbii.

Hic morbus, quia diu durat, pertinet inter chronicos affectus. Respectu naturalis structurae uesicae consistit in carnium membranarumque mole praeter natu-  
ram

ram aucta, eaque plurimum alterata, tam quantitate, quam etiam qualitate. Praecipuum enim attentionem meretur facies uesticæ adeo mutata, et a pristina textura recedens, ut ex Ruy schii aliorumque §. V. allegatis observationibus, materia modo pinguedini aemula, modo puri similis itemque, topacea, glandulosa, steatomatica, spissa et uiscosa membranis uesticæ intertexta fuerit inuenta. Haec aliena quippe substantia non modo crassitatem adauxit, sed etiam fibrarum extensionem impediuit, earumque callosam duritatem effecit. Respectu cauitatis autem angustia, imminuta, ob contractionem fibrarum auctam existit uitiosa. Intuitu actionis laesae, facultas retinendi urinam ualde immunita, expellendi uero aucta, accelerata, et iusto frequentior prehenditur; scilicet dum fibrae uesticæ nimium contractae sunt, et iustum extensionem uel distensionem non amplius admittunt, sed statim ac pauca urinæ quantitas colligitur, ad contractionem uestica incitatur, ideoque renisum musculi sphincteris urget et superat, atque ad excernendum lotium impellit, cum dolore et tenesmo quodam uesticæ spasmodico superueniente. Contracta enim identidem uestica humorem mucoso - glutinosum, in sparsa glandularum progenie secretum, copiose nimis exprimit, sicque orbatam munimine suo neruoso - tendineam tunicam lotii, per ureteres influentis, iniuriis exponit, et ad ualidam perpetuamque contractionem extimulat.

## §. VIII.

**Diuīsio.**

Haec carnositas modo est uniuersalis in toto uesticæ ambitu, modo, ceu supra monui, particularis, in aliqua tantum uesticæ parte accidens; modo recens ac incipiens, modo inueterata et habitualis; gradu etiam uel mitior et sanabilis, uel plane confirmata, callosa, scirrhosa, et incurabilis. Praeter haec modo est simplex et solitaria, modo composita et complicata scilicet, cum excrescentiis, tumoribus, calculo, exulceratione uesticæ, aliisque concurrentibus malis; unde calculosa, scabiosa, ulcerascens, haemorrhoidalis, scorbutica, uenerea, arthritico-podagrica, a causis concomitantibus cognominari posset. Diuidi etiam ualet in protopathicam, seu primariam, et symptomaticam, quae aliis praecedentibus morbis superuenit, itemque in idiopathicam, qualis a calculo, inflammatione, haemorrhoidibus, fungis, uesticæ etc. et demum, sympatheticam seu consensualem, qualis u. g. a renibus male affectis, accidit.

## §. IX.

**Differen-**  
**tia ab aliis**  
**uesticæ**  
**morbis.**

Conuenit equidem hic morbus respectu symptomatum et coincidit cum aliis uesticæ passionibus, u. g. cum calculo, stranguria, tenesmo haemorrhoidali uesticæ, eiusque inflammatione, et scabie; nihilominus tamen ab his non nihil differt atque discernitur. Quamuis enim calcu-

calculus saepe cum carnositate vesicae coniunctus sit, imo in utrisque paria euenant symptomata, quae non nullis imposuere, ut calculum in vesica latitasse, licet frustra; coniecturauerint; attamen si aut cathetere in urethram, aut digito in intestinum rectum inserto, durum calculum adesse, tanquam e signis indubiis, uel etiam ex fabulo urinoso, et calculis antea saepius excretis, certus non sit medicus de calculi praesentia; e longa et dolorosa frequentique micturitione ad carnositatem vesicae argumentari potest. Stranguria simplex, tenesimus vesicae haemorrhoidalis, eiusque inflammatio, tanquam morbi partim acuti, partim brevioris termini, non adeo diu durant, sed post aliquot dies cessant, uel partim intermittunt. Crassities uero et carnositas vesicae morbus est chronicus, cum diuturna et plurium saepe annorum spatio durante stranguria, et mictione pultaceo-viscosa, uel plane incontinentia urinae coniunctus. Scabies et ulcera vesicae urinam praebent pure, carunculis, aut squamulis furfuraceis refertam, qualis in simplici carnositate non mingitur. Tandem in carnositate vesicae solauix unquam urina supprimitur, sed potius frequens mengendi stimulus urget; in calculo autem, inflammatione, aliisque tumoribus collum vesicae obsidentibus, saepius ischuria et suppressio urinae euenire solet, ea que subinde lethalis.

## §. X.

## §. X.

**Subiecta.** Subiectum huius morbi proximum, praecipuum et immediatum, est uezica urinaria, eiusque in primis substantia fibroso-membranosa, praesertim tamen cellulosa et uasculosa substantia. Vix enim unquam musculosae et regulares fibrae in corpore animali ultra modum augentur. Pari quoque modo fibrae tendineo-nerueae non adeo copiose succrescunt, ut molem uezicae naturali multis uicibus augere et cumulare queant. Hinc nihil aliud supereft, quod sensus et rationis testimoniis magis probetur, quam ut in textura cellulosa, et uasculosa, sedem humorum subsistentium et alteratorum quaeramus, id quod uel ex RYYSCHII m) obseruationibus, et ex historiis supra §. V. allegatis, in quibus intra uezicae membranas aliena materia refertur collecta, abunde patet. Inter subiecta uero generatim et latius sumta, scilicet homines, qui p[re]e aliis huic morbo concipiendo sunt expositi, merito numerandi sunt senes, scorbutici, haemorrhoidarii, itemque calculosi, et quibus ulceræ uezicae aut renum contingunt. Saepius etiam in sexu virili, quam muliebri, hunc morbum euenisse legimus; siquidem in feminis menstruae purgationes, breuitas urethrae, parciorque potus, causas huius mali declinant et praescindunt.

## §. XI.

m) Obseru. Anat. chir. obf. 89. pag. 113. fig. 70.

## S. XI.

Ad causas morbi huius dum progredior, uariae <sup>oc-</sup> Causae :  
 currunt contemplandae. Primum quidem proximam,  
 et immediatam causam, cur interdum nimium crassa, <sup>an-immediata</sup>  
 gusta, contracta, et ad expansionem naturalem inepta <sup>proxima.</sup>  
 reddatur uesica, generatim ponendam censeo in constitu-  
 tione eius praeternaturali et alterata, illamque ab actione  
 naturali impediente. Sicuti uero in quois uiscere mutua  
 et solidorum, et fluidorum, officia ad actionem eius conspi-  
 rant: ita quoque necesse est, speciatim inuestigare rationes  
 utrarumque partium constituentium, ex quibus uitium  
 istud in uesica proxime oriatur. Respectu solidarum  
 uesicae partium in culpa uersantur fibrae eius, partim ri-  
 giditate, partim uero laxitate et atonia, peccantes. Ri-  
 giditas et strictura fibrarum patet ex eo, quod fibrae tam  
 musculosae, quam tendineo-nerueae, iustum distensio-  
 nem et extricationem non patientur; unde cauitas eius  
 intrinseca amplificari debito modo non potest. Quin imo,  
 si tractu temporis plicae et nexus laxior fibrarum adeo  
 corrumpantur, ut elongari, uel ab inuicem separari non  
 amplius queant, coalitus earum plane metuendus, ad  
 callosam duritiem accedens, praeſertim si fibrae pereg-  
 rinae et minus dilatabiles inter earum interſtitia succreſ-  
 cant; unde sphincteris vis contrahens et naturalis renis ſuperatur a densitate fibrarum uesicae. Quod autem fi-  
 mul in portione uesicae cellulosa, quae fibris et memb-  
 ranis

C

ranis

ranis musculoſis et nerueo - tendineis intertexta est , magna laxitas et atonia praefens fit ; uel ex eo cognoscimus , quod humores inibi colligantur , subsistant , et alienam faciem adipiscantur . Fluidae enim partes , dum maiori copia ad uesicam confluent , quam ex hac refluunt , mole sua et retardatione non modo cumulantur , et stagnantes pristinam ex parte naturam exuunt , inspissantur , secedunt ab inuicem , tenerrimas particulas remittunt , crassiores retinent , cellulas et uasa minora infarciunt , fibras lentore suo ambient , et colligant , nec amplius lympha roscida ac temperata , ad distensionem sufficiente , emolliunt , sed morantur potius in actione , ac rigiditatem demum callosam iisdem affrictant ; intrinsecam uero uesicae membranam tendineo - glandulosam adeo emolliunt , relaxant , et irrigant , ut mucus copiosior ex plicis transfluet , et urinam reddat uiscosam pultaceamque . Circulo enim humorum semel intercepto , uel tantum retardato , et irregulariter procedente , non modo structura partium alteratur , sed etiam actio partium naturalis intercipitur . Quin imo fit , ut , ubi semel aliena nutritio inde oritur , haec magis magisque procedat , et a recti tramite deflectat . Quid ergo mirum , alteratam uesicae structuram , constitutionem et molem , inde emergere , ac uesicam , hac ratione turbatam , pristinam faciem formamque exuere , nouam uero et irregularem induere .

§. XII.

## §. XII.

Ad causas uero quod attinet mediatas, et propinquas, ex quibus uestica adeo mutetur, uaria concurrunt propinquae. Ex his primas dicit partes spasmus uesticæ frequens et diuturnus, quippe qui tunicam musculosam ita coarctat, ut facilem non admittat uesticæ extensionem, et sicuti aliae partes per diuturnum spasmus adeo corrugantur, ut demum contracturam fibrarum inferant; ita pari modo uestica diu contracta fibras reddit iusto breviores, minusque dilatabiles, unde corrugatae quasi occallescunt. Spasmus autem hunc uaria inuitant accidentia, quae scilicet uesticæ fibras nerueas stimulo suo irritant, ut tunica musculosa solito frequentius, diutius, ualidiusque fese corripiat, et refluxum humorum, ex intersticiis alias facilem, intercipiat. Inter haec irritamenta pertinent calculus uesticæ, praecipue ille, qui asperitudine sua membranam uesticæ intimam fricando sollicitat, et affluxum humorum cum spasmo commouet. Multa prostant exempla crassitiei uesticæ praeternaturalis a calculo natae, qualia BONETVS, <sup>n)</sup> HOVSTET, <sup>o)</sup> CAMERARIVS, <sup>p)</sup> Actorum medicorum Edimburgensis Aut

C 2 tores,

<sup>n)</sup> Sepulchr. Anat. lib.. 1 pag. 286.

<sup>o)</sup> Memoires de l' Acad. Boiale de chir. T. 1, pag. 396.

<sup>p)</sup> Ephem. N. C. cent. 3. obs. 10. pag. 22.

tores, q) ANTONIUS DE HAEN, r) aliique plures referunt. Porro huc pertinent scabies et ulcera uesicae, quorum obseruationes allegant RVYSCHIVS, f) et RIOLANVS; t) Sarcomata, de quibus MANGETVS v) scenam aperit, item excrescentiae uesicae, quarum mentionem faciunt Ephemerides, w) utpote cause ad spasnum irritantes, et affluxum humorum nimium excitantes, interdum huic malo ansam praebent. Quod etiam atonia symbolum suum conferat, nemo dubitat, cui notum est, spasmus diuturnum sequi atoniam. Dum enim laxitas fibra- rum uasorumque, ceu antea §. XI dixi, humores non rite promouet, sed subsistentes alterat, et inspissat; mi- rum non est, molem uesicae exinde notabiliter augeri, et non solum heterogeneam substantiam intra membrana- nas colligi, sed etiam callositatem demum subnasci. De- nique humorum illuc aduectorum et confluentium dys- crasia et spissitudo, qualis in senibus, et scorbuticis cor- poribus, heic loci colligitur, uel ubi impuritas uenerea, arthritica, scabiosa, podagrifica, purpuracea, inflamma- toria, oedematoso-uiscosa, sedem in uesica fixam posuit,

mate-

q) T. I. pag. 424.

r) Ratio medendi in Nofoc. pract. Part. I. pag. 134.

f) in Obseru. obsl. 78. pag. 99 fig. 62.

t) in Enchiridr. anat. Patholog. pag. 153.

v) in theater Anat. Tom. I. pag. 409.

w) Eph. N. C. cent. 7. obsl. 37. pag. 309.

materiam foeneratur crassitie eius praeter naturali, nisi  
tempestive discutiatur.

## §. XIII.

Ex causis antecedentibus remotisque huc referri  
merentur senectus, quae teste **HIPPONCRATE** <sup>x)</sup> morbis Causae res-  
motae an-  
teceden-  
tes. uesicae magis obnoxia deprehenditur. Temperamentum  
cholericum, et melancholicum, in primis uero plethori-  
ca corpora, sanguine crasso et cacoehymico uel scorbu-  
tico abundantia, et quae catarrhis et rheumatismis ualde  
uexantur, nec non quibus haemorrhoides aut non rite  
profluant, aut supprimuntur, aut ubi simul consuetae  
sanguinis missiones diu intermittuntur, morbo huic uesi-  
cae magis sunt exposita. Labes uesicae, ab infancia  
et nativitate debilitatem, et affluxum humorum, in-  
uitans, symbolum quoque huc confert. Loci et aquarum  
conditio prava, refrigeratio corporis inferioris diurna,  
diaeta crassa et cruda, potus insalubris, cereuisia crassa,  
nec satis defaecata, minus diuretica, uina acida, au-  
stera, et tartarea, abusus spirituorum, uita sedentaria,  
mensium haemorrhoidumque suppressio, uenus im-  
modica, impura et senilis, ira frequens, aliaque plura,  
ansam morbo dare ualent. Porro ex morbis praegres-  
sis huc pertinent inflammatio phlegmondea male dis-  
cussa, ulcera uenerea, renes exulcerati, laesiones uesi-

C 3

cae

<sup>x)</sup> in aphor. Sect. 3. aph. 31.

cae ex partu difficili , uel uulnere male sanato , haemorrhoides ad uesticam determinatae , uel per abusum fortium diureticorum , praecipue cantharidum , aphrodisiacorum et aloeticorum , ad uesticam inuitatae ; erysipelas , podagra et scabies , quando retropelluntur , contusiones , calculus , ulcera , scabies , intertrigo uesticæ , Itchuria , gonorrhœa maligna , excrescentiae fungosae et steatomaticeae , quae paulatim totam uesticam prauitate sua inquinant , et ex particulari uesticæ alteratione totam eius compagem uitio suo deturpant . Quaecunque demum causæ affluxum ad uesticam nimium subsistentium humorum et impurorum excitant , illæ tractu temporis carnositati eius et crassitie praeter naturali uelificantur .

#### §. XIV.

Signa.

Signa ex quibus morbus hic cognoscitur , sunt partim communia cum aliis uesticæ passionibus , partim uero propria , distinctiua , et pathognomonica . Ex ipsa morbi natura , qua angustia praeter naturalis uesticæ collectionem , et retentionem , urinae impedit , satis patet , non retentionem , sed frequentem potius adesse debere urinae missionem , cum dolore plurimum et stranguria spasmatica coniunctam ; urinam uero repetitis uicibus paucam reddi , uiscosam , nec raro foetentem , imo pulchram , et subin limo calciformi turbatam . Haec uero sympto .

symptomata , cum etiam in calculo , ulceribus , scabie , et excrescentiis uesticæ fungosis euenire soleant , dubiam reddunt cognitionem simplicis uesticæ carnositatis praeter naturalis , licet haec cum iisdem morbis non raro coniuncta sit , ideoque communia habeat signa . Interea tamen , ubi signa calculi pathognomonica absunt , praesertim si ab exploratione catheteris intra uesticam immisi corpus durum non persentiscatur , neque tactu dorsi , intra intestinum rectum inserti , calculus explorari queat , neque lotium per iſchuriam unquam intercipiatur , sed moles carneæ callosa percipiatur , verum quoque pus in urina non contineatur , et morbus per plures annos durauerit , ac causæ praeceſſerint , quae crassitudinem uesticæ inferre possint ; non uana oritur carnositatis præſentis coniectura ex frequenti et dolorosa urinae pulsatice miſtiritione , imo plane eius ſtillicidio . Praeter haec accidunt ſubinde etiam dolor peccinis et peri- nraei , alii ob uicinitatem loci modo suppressio , modo laxitas , uigiliae , angores , lipothymiae , appetitus prostratus , febris lenta , cachecticus faciei pallor , et pro diuersa corporis constitutione infarctus hydropicus , aut tabes , niſi gangraenosa inflammatio , et corruptio uesticæ exulceratae putrida , citiorem uitæ finem inferat , qualis inuenta a laudato BAIERO in ſectione prætantillimi Iurisconsulti . y) Idem a GRASSIO obſeruatum post mi- cillum

---

y) uid. obſ. 122. Act. N. C. uol. 3. pag. 381.

ctum cruentum et tenesmum uesticæ cum stranguria diuturnum ab haemorrhoidibus anomalis. z)

## §. XV.

**Prognosis.** Quid de morbo nostro praesagiendum sit, nunc breuibus dispiciam. Chronicum esse malum et rebelle, curatunque difficile, nemo negabit. Vesicae enim et renum morbos nil boni praetendere, et difficulter sanari, **HIPPOCRATES**, aa) iam testis est. In Praenotionibus etiam Coacis; *Vesicae*, inquit, *durae et dolentes omnino quidem male sunt; pessimae quidem cum febre continua*. Nam dolores ab ipsis uesticis ad occidendum sufficiunt. **ARETAEVS** bb) assentitur: *nullum uesticæ morbum boni moris esse; et FRID. HOFFMANNVS: cc) affectus, ait, qui ex laesa uesticæ substantia oriuntur, praesertim si per aliquod iam durauerint tempus, curatu non tam faciles sunt, ac forsitan putantur. Possunt tamen opportunis remediis mitigari, ut per plures annos irabere adduc uitam, licet cum molestia, possint hoc uitio laborantes*. Ex his praemissis non sine ratione colligo, morbum hunc, si adhuc recens est, et solitarius, aetas quoque nondum grandior, et humorum totius

z) Act. Nat. Cur. Vol. II. obs. 64. p. 163.

aa) Sect. V. aph. VI.

bb) Lib. 2. chronic. cap. 4.

cc) loc. cit. ie Epictis. ad obs. 4. pag. 418.

totius corporis temperies adhuc praesens, remediis conuenientibus et diaeta congruente adhuc expugnari posse. Ex aduerso, ubi malum iam adeo inueteratum et complicatum est, ut uesica euaserit plane callosa, et humores illuc congesti in alienam prorsus et minus resolubilem substantiam conuersi sint, aut ubi calculus praegrandis uesicae membranis innatus, et ulcera fungosa mali moris praesto sint, aetas quoque senilis, cachexia scorbutica, uel antiqua uenerea et ulcerascens callositas coniuncta, aut plane febris hectica, uel hydropicus status, superuererint; non dubito afferere, morbum hunc plenam curationem respuere, nec nisi palliatiuam admittere, sed hominem potius aut cachexia, aut febre hectica, aut lipothymia, uel plane inflammatione sphacelosa, post diuturnam torturam trucidare.

## §. XVI.

In sanando hoc morbo omnino respiciendum esse  
duco ad qualitatem eius, utrum nempe simplex sit, an Methodus  
medendi  
generalis.  
uero complicatus; recens, an inueteratus? Non enim  
omnibus eiusdem morbi causis et symptomatibus una tan-  
tum satisfacit medendi methodus. Quamuis enim gene-  
ratim in remotione causarum, praesertim proximae,  
medela morborum quaerenda sit; atamen pro diuersitate  
causarum et symptomatum, ino subiectorum natura  
discrepantium, curatio uarietatem exposcit adaequatam

D

et

et prudentem. Iam si carnositatem uesticæ morbosam intueor; ad eiusdem organi crassitiem, contracturam, angustiam, et spasmadicum dolorem amouendum sequentia indicantia mihi collimare uidentur: I) ut affluxus humorum, praesertim impurorum, nimius a uestica diuertatur, et ita focus nouae materiei accrescitiae remoueatur; II) ut partim humores intra uesticæ membranas collecti et inspissati resoluantur, discutiantur et excernantur; III) partim uero rigiditas fibrarum alteretur, et spasmatica contractio demulceatur, aliisque symptomatibus prospiciatur; IV) naturalis tonus et constitutio uesticæ restituatur. Indicationes autem speciales, quae aliis concurrentibus causis medelam afferant, in sequentibus §. XXIII delibabimus.

### §. XVII.

Remedia  
ad indica-  
tionem I.  
facientia,

Remedia, qua primæ indicationi fauent, partim qualitatí, partim quantitatí et motui, humorum corporis totius prospiciant oportet. Ita uero si quantitas sanguinis modum excedat, et aut plethora, praecipue cœochymica, praesens, aut consuetæ sanguinis uentilations, siue naturales, siue artificiales, diu omisſae uel suppressæ sint, in primis apud eos, qui haemorrhoidibus fluentibus, uel saltem coecis, saepe reuertentibus obnoxii sunt; necesse est, ut sanguis e brachio reuellendi causa, uel e pede deriuandi et euacuandi studio, uel denique

ex

ex uenis sedis per appositionem hirudinum, pro modulo virium et consuetudinis, sat largiter subtrahatur. Praeter haec, laxantia, benigniora tamen, rhabarbarina, mannata, e foliis sennae, agarico, extractis balsamicis, et antiscorbuticis, salibus etiam mediis ex aquis fontium fotericorum mineralibus, parata non modo saburram primarum uiarum expurgant, sed etiam humores spissos non nihil fundunt, et ad intestinorum canalem conuocando a uesica reuellunt. Deinde ad corrigendam humorum dyscrasiam scorbuticam, uel spissam, et uiscosam eorum indolem attenuandam, nec non ad serum acre temperandum, et per uias conuenientes euacuandum, partim diapnoica leniora, diuretica mitiora, incidentia, absorbentia, nitrata, et antiscorbutica, partim sanguinem depurantia, et chyli purioris genesin restaurantia, in usum erunt uocanda.

### §. XVIII.

Iam ad alteram progredior medendi intentionem, ad II. indicationem,  
quae omnino principalis, et ad scopum proprius directa est, licet ad consequendum finem non semper adeo sit facilis. Certe si medicamenta, quae internis morbis opponuntur, uariis mutationibus obnoxia sunt, antequam per multas ambages ad locum destinatum pertingant; eadem tanto longiori uia indigent, et crebrioribus

D 2 per

per uasa partesque corporis circuitibus agitantur, quanto remotius uezica in uentre posita non nisi recrementa aquoſo-falsa et excrementitia in ſinum ſuum recipit. Haec itaque remedia, quae citius iſtud iter absoluant, et ſecum partes medicamentofas expeditius ad uezicam deferunt, aliis pharmacis omnino erunt preeferenda. Ex horum uero claſſe laudem preecipuam, et efficacitatis citatioris preerogatiuam tuentur aquae minerales, preeſertim illae, quae et corrigendo ac diluendo incidenteque humores ſpiſos, acres temperando, uafa obſtructa aperiendo, et ſpiritu minerali eadem roborando, aluum ſimul et uias urinariaſ eluendo abſtergendoque, aliis palmam remedii preecipiunt. Dum enim aquae minerales, et thermae quaedam ſoteriae, ob largam aquarum, qua potantur, copiam non modo uafa corporis totius, ſed etiam uezicæ meatus, largiter perfluunt et elutriant; ſordes tam in uasculis quam in cauitate uezicæ haerentes potenter colliquant, a ſale iisdem intermixto incident et abſtergunt, lympham, ſerumque ibi stagnans attenuant, et partim ad circulum reuocant, partim uero per intimam glandulofamque uezicæ membranam educunt, fibras ſimul corrugatas emolliunt, et ad extensionem iustum tanto magis idoneas reddunt, quanto maiori copia uias urinae quaerunt, et hac ratione citius largiusque ad partem male affectam deferuntur. Hoc nomine pree reliquis aquae Selteranae et Sphadanae laudem merentur, testibus

bus FRID. HOFFMANNO *dd*) et HENRICO ab HEER *ee*) ut  
pote qui aquas spadanas morbis uesticæ specifica qua-  
dam ui optime mederi multis exemplis rationibusque  
comprobant. Notum mihi quoque est exemplum mictio-  
nis pultaceae cum perpetua stranguria , tenesmo et car-  
nositate uesticæ , ex anomalis haemorrhoidibus nascente ,  
quæ , frustra adhibitis aliis pharmaceuticis remediis ,  
tandem potu aquæ felteranae funditus sublata est. SCR-  
BONIVS LARGVS *ff*) aquas ferratas Tuscias ideo nominat  
uesticarias , quoniam ulceribus uesticæ opitulari commo-  
de solent. Efficaces quoque se praebent aquæ Dyn-  
steinenses , Schwalbacenses , Egranae , Pyrmontanae ,  
Sedlicenses , et e thermis Carolinæ etc. , et ubi specia-  
tim haemorrhoides alui reuocandæ promouendaeque ;  
aqua Sedlicensis amara præcipue laudatur. Interim ta-  
men selectum prudentem aquarum mineralium instituere  
iuvat , ita ut , ubi magis incidentum , alcalinae salinae ,  
ubi vero magis roborandum , aquæ martiales præferen-  
dae sint. Quin imo si teneritudo corporis exposcat mi-  
tigationem falsedinis mineralis , conuenit , serum lactis  
hisce aquis intermiscere. Quodsi uero impedimenta

D 3

quæ-

*dd*) In tract. de aquis felteran.*ee*) In sua Spadacrene.*ff*) In med. com. cap. 38. pag. 146 uid. Bergeri tract. de  
therm. carolin. p. 125.

quaedam intercedant, quo minus potus aquarum mineralium applicari possit, siue illud fiat ob locorum conditionem, siue ob tempestatis annique intemperiem, siue ob nauseam sumptuumque penuriam, aliaque obstructa; tunc solatum in aliis ponendum pharmacis, ut pote quae subinde thermarum acidularumque simul usui interponi possunt. Nimirum feligenda resoluentia, abstergentia, aperitiva, lenia diuretica, balsamica, antiscorbutica, temperantia, et antispasmodica demulcentia ac moderate roborantia. Horum in numero offendimus infusa et decocta theiformia ex decocto nephriticō Forresti, bromio Loweri, Radicibus sarsaparillae, graminis, taraxaci, caryophyllatae, chineae, parreirae prauae, scorzonerae, liquiritiae, polypodii, bardanae, ononis; Herbis fragariae, chaerefolii, hederae terrestris, millefolii, saniculae, endiuiae, agrimoniae, melissae citratae, aquilegiae, saluiae, saxifragiae; Floribus uiolarum, tunicae, maluae arboreae, paralyseos, genistae, acaciarum, bellidis minoris; lignis saffrafras, iuniperino, santalo citrino, baccis iuniperi, alkekengi, semine anisi, foeniculi. Praeter haec Essentia Succini, parreirae prauae, oculorum populi, lignorum, balsami peruviani, copaiuae, ligni guaiaci, Tinctura tartari, antimonii, ligni saffrafras comp. milleped. comp. Elixir antiscorbuticum, balsamicum, et uiscerale H. uel temperatum viennense, spiritus nitri dulcis, spiritus carminatiuus de tribus; Ex pulueribus conchae cal.

calcinatae, lapides cancerorum citrati, magisterium matris perlarum, antimonium diaphoreticum, cerusfa antimonii, millepedes, lumbrici, uiperae, succinum praeparatum, nitrum depuratum, antimoniatum, tartarus uitriolatus, arcanum tartari, tartarus tartarifatus, sal ononis, genistae, thermarum carolinarum, sedlicense, magnesia alba, saccharum lactis, puluis nephriticus Anglicus, antispasmodicus Hallensis, temperans D. D. IANTKII, Diacodion solidum Montani, trochisci alkekengi, Gordonii. Sub forma pillularum quoque exhiberi possunt extracta millefolii, scordii, ligni aloes, ligni sassafras, sarsaparill comp. cochleariae, agrimoniae, cardui benedicti, hederae terrestris, centaurii minoris, cichorei, gummi ammoniacum, Opobalsamum, terebinthina cocta, ueneta, massa pilularum balsamicarum Hoffm. e Succis Norimbergensium, e uegetabilibus B. D. D. de Bingen. FRID. HOFFMANNVS gg) mel laudat Prussicum album, tanquam renibus et vesicae morbis amicum et accomodatum, eique uim abstergentem et balsamicam adscribit; ideoque tam loco sacchari infusis et decoctis radicum et herbarum, quam electuariis

---

gg) Med. rat. Syst. T. IV. P. I. S. II. c. 8. §. 5. pag. 468  
et P. II. c. 17. §. 2, p. 372.

riis illud admiscere conuenit. BOYLE *bb)* saponem uenetum rasum, quotidie bis uel ter ad drachmam unam, in sufficiente et grato uehiculo propinatum, multis, calculo, mictione pultacea atque cruenta, laborantibus ex uoto profuisse affirmat. Sicuti enim alcalina abstergiuia et incidens, simulque leniens saponisindoles, a qua puluis lithontripticus anglorum maximam calculi frangendi et euacuandi uim nanciscitur, recrementis tartareis et mucosis placide euacuandis inferuit: ita quoque uiscosis et limosis impuritatibus, in tunica uesicae cellulosa haerentibus, aliquandis commodum sistet remedium. Hinc laudatus ANTONIUS AB HAEN *ii)* cuidam futori, calculo et stranguria per septem annos miserime uexato, et qui sine dubio carnositate uesicae simul laborauerat, per quinque menses saponem uenetum magna copia cum aqua calcis, et lacte dedit, eo effectu, ut ab utrisque aegrotans malis feliciter sit liberatus. Idem auctor nouum quoddam et specificum remedium, renum et uesicae morbis quam plurimis saluberrimum, praesertim calculo, ulceribus, stranguriae chronicae, et tenesmo uesicae, adeoque etiam carnositati eius morbosae, opem singularem praestans depraedicat, scilicet praemissis laxantibus et decoctis balsamicis abstergentibus-  
que,

---

*bb)* Tr. de simplic. Medic. pag. 47.

*ii)* Loc. cit. pag. 206.

que suadet puluerem uuae ursinae , ad drachinam dimidiam quotidie semel aut bis propinandum , eiusque usum aliquandiu continuandum , fidemque facit , allegatis aliquot exemplis , se hoc puluere mira praelatissime in stranguria chronicā , tenesmo , calculo et ulceribus uescicāe . Quod si uero mitiora remedia atrocitatē morbi non frangant , altasque , quas iecit , radices non euellant ; ad ualidiora phar-maca nonnulli medicorum processere . Inter haec eminet mercurius , utpote qui , in fundendis liquandisque humo-ribus spissis , in cellulosa et pingui membrana hospitan-tibus , exemplo ulcerum callosorum nodorumque uene-reorum , sat clarus , obstrunctiones potenter reserat , humoresque fundit inspissatos . Hunc VELDENIVS kk) rebelli op-posituit ischuria et mercurii dulcis gr. V. ac pulu. coccio-nellae gr. XV. cum syrupo dialth. Fern. aliquoties dedit cuidam ischuria grauissima cum calculo renum laboranti , adeo felici cum successu , ut magna urinæ copia inde fuerit profusa . BOERHAAVIVS II) in femina , cui intima uescicæ membrana abscesserat , mercurii praecipitati albi gr. I uel II cum purgantibus exhibuit , adeo felici ausu , ut materia glu-tinosa et uitrea in uescica haerens incisa , resoluta , elimi-nata , ac diathesis ulcerosa emendata sit . His permo-

**E** **tus**

kk) Vide Petri Gerike diss. de ischuriae causis , pag. 33.

II) Vide Kochium de affectu in libris et praxi rarissimo ab  
H. Boerhaauio sanato. p. 17.

tus obseruationibus, mercurialium usum, atque uel ipsam glem saliuacionem, praecique si uenes uenerea praesens, non plane reicerem, dummodo reliqua indicantia id permittant.

### §. XIX.

*Externa  
et topica.*

Externe etiam adhiberi commode possunt praeter clysteres emollientes, quibus sapo, et saponaria immiscantur, fomentationes ex plantis discutientibus et pargoricis, imo plane balnea artificialia, et thermae minerales, praesertim Carolinae, Emsenses, Hirspergenses, uel etiam ex aqua pluiali cum herbis parata neruinis, resoluentibus, demulcentibus. Denique commendantur iniectiones in uescicam factae ex mundificantibus, abstergentibus, resoluentibus et traumaticis *u.g.* ex radicibus altheae, graminis, herbis scordii, mercurialis, saniculae, brancae ursinae, ueronicae, millefolii, cum mucilagine semenis cydoniorum, melle, et tantillo camphorae. HENRICVS ab HEER *mm*) et SOLENANDER *nn*) aquam spadananam in uescicam ope siphonis iniectam magni faciunt. D. D. WHYTT *oo*) saponem uenetum cum aqua calcis uiuae et lacte sicut ad bibendum, ita quoque ad iniiciendum in uescicam, commendat, etiam ubi calculus praesens fuerit.

### §. XX.

*mm*) in Spadacrene pag. 76. usque ad 79.

*nn*) in Consult. 37. Sect. 3.

*oo*) in actis Edimburg. Conf. ab Haen I. c.

## §. XX.

Rigiditas quidem et contractura fibrarum, praecipue ad III in-  
 muscularium, in uestica successiue minuetur, si obstatula  
 extensionis remota, et humores in vicinitate stagnantes  
 resoluti, et amandati fuerint, benignores uero et rosci-  
 da lympha fibras denuo irrigent, et emollient; nihilomin-  
 us tamen, ut emollitio et laxitas membranarum naturalis  
 promoueatur, conferunt partim oleosa temperata u. g.  
 oleum amygdalarum dulcium, butyrum cacao cum iuc-  
 culis auenaceis, sperma ceti, partim uero mucilaginosa et  
 emulsiua, u. g. syrpus dialtheae Fernelii, mucilago semi-  
 nis cydoniorum, emulsiones ex seminibus quatuor fri-  
 gidis, milii solis, papaueris albi cum aquis fragorum,  
 rubi idei, acaciarum, cerasorum, florum tiliae etc.  
 paratae. Nitrata et puluis antispasmodicus Hallensis,  
 serum lactis, uel in cholericis succi fructuum aciduli, ut  
 berberum, ribium, granatorum, myrtillorum, pomorum  
 chinensium, limonum, melonum. Externe quoque  
 fomentationes, balnea, item unguinosa ex oleo uerbas-  
 ci, liliorum alborum, rosarum, pinguedine anserina,  
 unguento dialtheae, populeonis, itemque aqua uulne-  
 raria Gallorum cum spiritu uini camphorato, regioni pu-  
 bis et perinaei inungi, et simul urinae missio, quantum  
 fieri potest, nonnihil reprimi, et retardari debet, ut  
 hac ratione uestica paulatim ad distensionem et amplitudi-  
 nem naturalem reducatur. Quinimo per aeris in urethram  
 insuf-

infusflationem, a PROSP. ALPINO pp) ad extrahiendum minorem sine sectione calculum tantopere laudatam, amplitorem reddi uesciam posse, rationi non aduersatur. Ex symptomatibus dolor et stranguria non tam opiatis, quibus tonus naturalis iusto magis frangeretur, quam potius emulsiis et mitioribus sedatiis mitigandus; lipothymiae analepticis; alui obstructio et inflatio colica clysteribus et lenioribus laxantibus; febris temperantibus et diapnoicis; agrypnia emulsiis nitratis; inappetentia et cachecticus status stomachicis, uisceralibus, aliisque conuenientibus remediis, oppugnari debent.

### §. XXI.

Ad IV. in-  
dicatio-  
mem.

Ad quartam indicationem quod attinet, tonus uesciae naturalis sua sponte quidem paulatim reddit in iunioribus ueterisque subiectis, necdum diurnitate morbi, dolorumque et uigilarum facuitie, eneruatis. Cessante enim causa, sicuti effectus cessat: ita quoque fugatis doloribus, et stimulis, uesciam ad spasmadicam contractionem crebro prouocantibus, tempestue remotis, uesica in officio suo neque turbatur amplius, nec ultra modum incitatur. Quoniam tamen spasmus frequens et diutinus post se relinquit atoniam, ad praescindendum mali recursum, praesertim in senibus, necesse est, roborantibus tonum

---

pp) de medicina Aegyptiorum, L. III. Cap. 14. p. 104. l.

tonum instaurare; qualia sunt Essentia millesolii, mastiches, balsami peruviani, traumatica Wedelii, corticis peruviani, tinctura tartari, terrae catechu ambrata, antimoni, coralliorum, Elixirium balsamicum H. liquor mineralis anodynus, potus uini Mosellani, uel Hungarici, species diaxyloales, diambrae, diarrhodon, diatrimon fantalon, aromaticae rosatae, aliaque roborantia.

### §. XXII.

Quoniam uero morbus in aliquibus tractu temporis <sup>Curatio</sup> tam altas egit radices, ut curationem perfectam plane <sup>palliativam</sup> excludat; non nisi palliativam superesse iudico. Ideo que ad symptomatum mitigationem, praesertim ad dolorem leniendum emulsiva, nitrata, oleosa, linctus, mucilaginosa, fomentationes, clysteres, et antispasmodica temperantia; ad uires uero reuocillandas analeptica, et quaeunque accidentibus aliis utiliter opponi solent, praescribere expedit.

### §. XXIII.

In carnositate autem uesticæ complicata qualis <sup>Curatio</sup> medendi methodus ineunda sit, breuiter nunc dispiciam. Antea §. VIII. iam monui, calculum, ulceræ, tam benigna, quam uenerea, scabiem, scorbutum, haemorrhoides, podagram, arthritidem, fungosas excrescentias, fistulasque, cum carnositate uesticæ morbosa interdum coniungi. Nemo non intelligit, singulas modo allegatas passiones sua propriaque remedia exposcere,

E 3

eaque

eaque cum iis, quibus carnositati medemur, coniungi debere. Quoniam uero amplum nimis campum differendi ingrederer, si specialem istorum morborum curationem huc uellem tanscribere; ideoque prouoco ad methodum istiusmodi morbos sanandi, aliis in libris medicorum satis obuiam.

### §. XXIV.

#### Diaeta.

Diaetae regulas, ad curandum praeseruandumque necessarias, non negligendas esse censeo. Conuenit enim uel maxime, liberiori et puriori aura, eaque temperata, frui, qua libera transpiratio et repurgatio corporis conservetur, atque simul humores nostri elatere aeris uegetiori animentur. Ex aduerso loca paludosa, squalida, uaporibus impuris referta, fugienda. Ex cibis exulent omnia fumo indurata, coctu difficultia, putredini et acescentiae proxima et obnoxia, acria, inflantia, caseosa, acida, cruda; olera uero, quae ex lactuca, endivia, beto, malua, spinachia, chaerefolio, scorzonera, rapis etc. parantur, ob uim abstersiuam lenientemque non omnino repudianda. Potus uero sit tenuis, bene defaecatus, diureticus, non uero acidus, austerus, crassus, inflans. Vini mosellani et rhenani atque hungarici usus, praecipue sub finem morbi, roborandi fine ab aliquibus permittitur. Motus, et quies, somnus et uigiliae, ne modum excedant, cauendum. Excretionum naturalium aequa, ac artificialium, itemque affectuum animi, ratio simul habenda.

### §. XXV.

## §. XXV.

Denique aliquas adnectere liceat cautelas. In curatione huius morbi fortiora et calidiora diuretica eo minus locum habent, quo magis affluxus humorum ad uesicam inuitatur, et periculum inflammationis lethalis augetur. Pari modo fortiora draistica, item spiritus terebinthinae, et alia spirirituosa oleoso-uolatilia caute, uel non, applicanda. Hinc sedulo cauendum, ne contra mictum cruentum et tenesimum uesicae haemorrhoidalem, qui saepe pro calculi indicis, licet falso, habetur, ualidiora adhibeamus lithontriptica et urinam pellentia; quoniam carnositati uesicae morbosa portam infausto sidere aperiremus. Prae reliquis tamen notandum, curationem huius morbi non protrahendam, sed tempestive inchoandam esse. Nam in adulto et confirmato malo, fractis iam uitae uiribus, et callosa uesicae duritie iam praesente, frustraneus omnis labor erit. Tandem et illud monendum, ut praesente calculo semper Medicus aequa, ac Lithotomus, respiciat ad carnositatem, et callositatem uesicae. Hac enim praesente, sectio et extractio calculi longe erit difficultior, et maiori cum periculo uitae coniuncta, quam ubi uesica tenuis adhuc et ad dilatationem prompta. In hac enim apparatus altior aequa ac lateralis magis locum inuenit, quam ubi angusta et compressa uesica calulum arcte cingit, et uulnus consolidationem fere omnem

nem respuit, ob peregrinos membranis interfertos humores, coalitum impedientes, corruptionem uero putridam augentes; ne dicam, uasa maiora, in uefica contracta, latius sauciari, et lethalem haemorrhagiam subsequi posse. Denique attento tenendum animo, semper in morbis ante nominatis, qui cum carnositate ueficae coniuncti esse solent, suspicionem oriri huius carnositatis aut oriundae, aut iam praesentis, nec quicquam, quod huic augmentum daret, uel eandem confirmaret, sed potius minueret et declinaret, applicari debere.

### §. XXVI.

**Conclusio.** Ita uero praemissis iis, quae de morbo nostro meditatus sum, finem labori huic impono, L. B. decenter rogitans, ut mihi in illustrando morbo hoc, minus hucusque pertractato, glaciem frangenti, ueniam concedat, si non exactam eius exhibuerim euolutionem. Forte aliis nunc facilius erit, meliorem certioremq[ue] sa[n]dandi uiam ingredi, quam lubens sequar. D E O T. O. M.  
gratias agam demississimas, si per hunc qualem-  
cunque laborem salutem misere decum-  
bentium aliquo modo proue-  
here potuerim.

F I N I S.

*Scire*



**S**cire potestates herbarum, artemque medendi,  
Est aliquid; maius, si quoque Hygea fauet.  
**L**audamus Veteres, laudamus itemque Recentes,  
Stahlium, et Hofmannos, Hippocratemque senem.  
**Q**uid plures numerem? Quis Gallos nescit, et Anglos,  
Numquid Germanis baut locus esse queat.  
**V**t mittam innumeros, Augusta clarus in Vrbe  
BINGENIUS solus commemorandus adest.  
BINGENIUM fraarem germanum imitabitur ALTER,  
Nobilis arte, Ortu, dexteritate, fide.  
**D**ifferis, o NOSTER, de (quarum est maximus usus)  
Naturae rebus. TE beet ipsa Salus.

Gentis, Virtutis, Industriae gloria,  
Nobilissimo Viro, Domino IO. RVDOLPHO  
de BINGEN, Augustano, nouum  
DOCTORIS MEDICI nomen,  
Fautori in primis honorando  
congratulatu  
**IO. IAC. IANTKE. D.**  
Consiliarius et Archiater Solisbacenſis  
Prax, pathol. et Botan. Prof. Publ.  
Vniuersitatis Senior.

---

GENEROSO ATQVE PRAECLARE DOCTO  
DOM. IOHANNI RVDOLPHO DE BINGEN  
CANDIDATO MEDICINAE DIGNISSIMO

s. p. d.

**D. IOH. NIC. WEIS, MED. P.**  
ET H. T. FACVLT. MEC. DECANVS.

**H**Onores Academicos, quos Tibi, Amice aestumatissime!  
facultas medica iam ante annum ex merito destinauerat,  
nunc

F

nunc denum capessis, postquam morbus grauis, qui Te inopinante infestauerat, impedimento fuit, quo minus promerita indefessa industriae Tuae uirtutisque praemia isto tempore cum aliis Candidatis reciperes. Superatis enim tunc ex uoto examinibus, in quibus expectationi nostrae abunde satis fecisti, cathedra Tibi fuerat iam aperta. Verum morbi impetus, quocum Tibi conflictandum fuerat, disputandi negotium distulit, Teque in patrias reuocauit terras. Nunc autem, recuperata per DEI gratiam integra ualeutidine, ad nos reuertisti, ut publicum illud ederes eruditionis Tuae haud uulgaris documentum. Argumentum dissertationis Tuae, quod et nouitate, et utilitate, se commendat, priuatis in lucrurbationibus ita elaborasti, ut non dubitauerim, istud assensu elogioque hoc comitari. Ab eo enim tempore, quo hanc adiusti Academiam, meoque hospitio et institutione, tam publica, quam priuata, sedulo usus es, non mihi tantum, sed honoratissimis etiam Dom. Collegis meis, laudabile, quod strenue secessus es, uirtutis et doctrinae studium, illudque cum insigni modestia morumque suauitate coniunctum. adeo perplacuit, ut communis omnium laude et benevolentia extiteris dignus. Intuitus enim es insignia bb. Parentis et Patruelis Tui, Medicorum inter Augustanos quandam celeberrimorum, exempla. Legisti feliciter laudabilia optimi fratris, quandam nostratis, Archiatri doctrina et praxi excellentis, uestigia. Ideoque magna cum uoluptate gratulor Tibi honores Academicos, maioresque auguror, DEVVM precatus, ut nomen BINGENIANVM illustre in Te non minus emineat, quam in dilectissimo fratre tuo ex-splendescit. Vale, meque in posterum amare perge. Dab. Altorf. ipfis Calendis Augusti A. C. CCCCLIX.

PRAENOBILISSIMO AC GENEROSO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.  
D. IO. IAC. KIRSTEN, P.P.

**N**on raro fieri solet, ut studium quoddam eidam familiae  
quasi proprium esse videatur. Ita enim ad studium me-  
dicum

dicum excolendum nati sane erant Bartholini, Zwingeri,  
alique, et in primis etiam Tua, Candidate doctissime, gene-  
rosa familia. Dudum namque Bingianum Nomen artem  
salutarem exornauit, et nihil aliud abs Te expectare possumus.  
Vestigia Excellentissimi Parentis, Fratrisque feliciter  
es secutus; uirtutem et industriam prudentissime coniunxit;  
in arte medica sedulo Te exercuisti; quid itaque supereft,  
quam ut nunc gratiosa Hygea Tibi quoque tribuat diligentiae  
uirtutisque mercedem, summos nimirum in arte sua honores.  
Hos Tibi gratulor, Deumque precor, ut Te Candidate  
dignissime, in commodum patriae, atque in solatum splen-  
didissimae familiae tuae saluum sospitemque semper conferuare  
uelit. Ceterum ut me amare pergas, uelim Tibi habeas commen-  
datum quam maxime. Vale. Dab. d. xxvii Iul. MDCCCLVIII.

Fremd, nur Verdienst, nicht Rang und Titel.

Ist das noch unentehrte Mittel  
Wodurch ein Weiser Ruhm erhält.

DEIN Beispiel stützt diese Lehre.

Du bringst Hygäens Tempel Ehre,

In den sie Dich zum Muster stellt.

Du übersteigst in solchem Glücke

Der Wünsche fernes Ziel und trogest dem Geschick.

Hiermit wolte sich  
dem Hochgeehrtesten

Herren Candidaten

bestens empfehlen

Der oßelben

ergebenster Freund und Diener

Dr. G. P. Zwinger.

F 2

Vt

**V**T mihi iam desunt libri, Patriam redeunti,  
 Quo tamen utor, adest pectus *Amice* meum.  
 Pectus adest, repeto, quod Te *de Bingen* abunde  
 Profundo cultu quin et amore petit.  
 Sit, *Cognante* loquar imo de pectore *Tecum*,  
 Sit, laeter, cantem prospera, sitque, precer;  
 Laetitiam spirat pectus, dum summa Brabea  
*Doctorande* feres, digna labore Tuo.  
 His simul accedunt pia *Conterranei* uota,  
 Vt Tibi promeritos pandat *Hygea* gradus.  
 Ac precor, ut faueas mihi semper, *Frater* amande!  
 sic

Neofori in superiori TIBI  
 Palatinatu, die 17 Junii. fLagrantI peCtore  
1759. Vota Dabam  
**ANT. IOS. DE CAMMERLANDER**  
 Philosophiae ac Medicinae Doctor  
 et Societatis Teutonicae Altorfinae  
 Collega Honorarius.

---

GENEROISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
 DOMINO CANDIDATO  
 FAVTORI ET AMICO SVO AESTVMATISSIMO  
 S. P. D.  
 IOHANNES IACOBVS HARDER, AVGUSTA - VINDELICVS,  
 SS. TH. CVLTOR.

**E**go uero magis TIBI *de summis in Medicina proxime* TIBI conferendis  
 bonoribus gratulor, quo firmorem eamque hanc fucatam inter nos,  
 ut IPSE nosti, et ego TE expertus sum, colimus amicitiam, ex quo  
 in

in Aldorfinis studiorum causa uitam degimus; eo iucundior autem  
mibi fuit dies, quo hancce contraximus amicitiam, quo magis  
iam antea moueram eum te esse, quem uirtutis studium, huma-  
nitas, irdefessa diligentia, morumque probitas amabilem, omnibusque lau-  
dabilem reddiderunt bonis. Laetabundus itaque TIBI, CANDIDATE  
AESTIVMATISSIME! gratulor, qui honoribus Academicis exornatus, ce-  
leberrimorumque Praeceptorum TVORVM Amicorumque laudibus et elo-  
giis cumulatus in dulcissimam redi patriam, ut fructus Doctrinae et Eru-  
ditionis ampliores percipere queas. Deum T. O. M. summum illum re-  
rum humanarum gubernatorem deuotissimis precor precibus, uelit TE  
Patriae, Generosissimae, quacum iunctis es propinquitate, Familiae,  
omnibusque, qui te colunt, amicos salutum atque incolumen reddere, adgit  
TVIS omnibus conatus, ut salutari qua polles arte multorum, qui TVVM  
implorant tum consilium, tum auxilium hominum sanitatem et ualeitudinem  
uel seruare, uel amissam restituere ualeas, teque ad Neftoreos usque annos  
felicem et ex omni parte beatum seruet. Sic uale, nostraeque mutuae ami-  
citiae manquam oblitus mibi porrofaue. Dabam Aldorfii Nor. A. R. S.

MDCCCLXIII. D. XXVIII. Iul.

Dum Fratris celebris sequeris uestigia docte:  
Faxit Numem, sit uita, salus populi.

Perquam Generoso, et Doctissimo  
DOMINO DOCTORANDO,

Fautori, amico, et conterraneo suo  
honorablem gratulabundus

baec dabat

A. D. TR. SCHORERVS  
Augustanus. I. V. Stud.

**S**o greifst Du Werther Freund nun nach Hygäens Cronen,  
Die DEGN gelehrter Sieg mit vollem Ruhm verdient.  
Die Tugend will DJR selbst als Ihrem Liebling lohnen,  
Da DJR der Vorber schon um DEGEN Scheitel grünt.  
Ja wann die hohe Berg sind glücklich überstiegen

So läßt der Fleiß auch siegen

DEGN Beispiel zeiget dies, gelehrter Herr von Bingen!  
DJR alzeit muntrer Fleiß kommt niemals müßig seyn:  
DU forschest die Natur, so muß es DJR gelingen,  
Dass DJCH Hygea schreibt zu Ihren Söhnen ein.  
So lebe dann beglückt. Es müssen DEGN Ehren

von Tag zu Tag sich mehren

Den Hochadelgebohrnen und Hochgelehrten  
Herrn CANDIDATEN  
Seine Freude über den erhaltenen  
gelehrten Sieg zu bezeugen  
und sich dessen fernerer Gewogenheit  
zu empfehlen  
schreibt dieses

J. G. Wolff. Med. St.  
Opponens

Monsieur

mon tres chere , et tres honoré Ami !

**C**E seroit en verité violer les loix sacrées de l'amitié , que de  
ne vouloir pas vous feliciter de l'honneur , que vous allez  
vous acquerir aujourd'hui par les études , que vous avez professées  
et qui vous meritent à tres juste titre l'approbation du public.  
Mais que dirai je , pour vous faire connoître mes véritables senti-  
mens. L'estime , que j'ai pour vous est trop grande , pour que je  
sais

*sais insensible aux recompenses diies à votre savoir, et les expressions que j' emploierais pour vous temoigner, combien je me sens redevable à la bienveillance, dont vous avez eu la bonté de m'honorer pendant le peu de tems, que j'ai eu l'honneur d'être de votre connoissance, sont trop faibles pour tracer à plein la moindre partie de ma reconnaissance, qui en elle même ne sauroit être plus parfaite. Quel transport n'ai je pas de voir un evenement, qui me met comme je l'ai depuis long temps souhaité à même de vous pouvoir marquer publiquement la joie que je ressens de vous voir sur le point d'obtenir la dignité la plus haute dans la Medecine. Purois je souhaiter l'occasion, que celle la plus favorable pour faire l'éloge de vos merites, si la crainte ne me retenoit de chaquez votre modestie. Mais j'ose me flater, que vous conoissez mon cœur, qui est trop sincere, pour vous donner le moindre soupçon, que je voulasse donner dans la flatterie. Je vous felicite donc de tout mon cœur du bonheur, qui uient vous arriver. Soyez persuadé, que si le ciel daigne vous accorder tout celui, que je vous souhaite, vous seres sans contredit l'homme du monde les plus heureux. Enfin, si je n'ai pas sitôt ou peut être jamais l'honneur de vous revoir, je suis plus que persuadé, que vous aurez la bonté de vous souvenir quelque fois de celui, qui sera toute sa vie avec l'attachement le plus parfait, et la considération la plus distinguée.*

# Monsieur

mon tres chere et tres honore Ami

A Altorff ce 25 Juillet votre tres humble , et tres

1759.

votre tres humble , et tres

## obeisant Servitenn

## ANDRE GEOFRAY TRETZEL

## **Etud. en Med, opposant.**

Noch hat durchwachter Nächte Fleis,  
Die Menge durchgedachter Stunden,  
Freund, den verdienten Lohn gefunden:  
Ruhm zahlet den gelehrten Schweiß.

Selbst Phöbus und der Musenchor  
Umschlingt DEIN Haupt mit Lorbeerzweigen,  
Nicht solchen, die von Mordlust zeigen;  
Der strengen Sense kamst DU vor.

Der Tag, an dem dein Glücke lacht,  
Das DJCH mit reinster Freude röhret,  
Und in Hygaens Tempel führet  
Sey dir zu steten Lust gemacht.

Die Kraft gebräche nie dem Kraut,  
Der Wurzeln Stärke fühlt der Kranke,  
Dass er des Arztes Klugheit danke,  
Und lobe den, der sie gebaut.

Hierdurch wollte  
dem  
Hochdelgebohrnen und  
Hochgelehrten  
Herrn Doctoranten  
zur höchsten Würde  
in der Arzneikunde  
seinen Glückwunsch  
bezeugen  
Joh. Barth. Röhm von Augsburg  
d. H. G. G. B.

1018

Tica



D

6

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA  
DE  
**CARNOSITATE VESICAE  
MORBOSA**

---

*DIVINIS SV  
CONSENSV ET  
GRATIOSAE FAC  
IN CELEBERRIMA VN  
PRO GRAD  
SVMMISQVE IN ME  
ET PRIVILEGIIS  
D. II AVGVSTI A.  
PVBLICO ERVD  
SVB  
RESPONSV  
IOANNES NEPO  
DE B  
AVGVSTA -  
  
ALTORFII  
TYPIS IO. GEORGII*

